

Multæ sunt causæ (inquit in arte probatoria) caloris & frigoris in igni, cuius argumentum capi potest à prunarum diuersitate. Altera enim altera calorem præbet maiorem; veluti prunæ molles, & recentes ab vstione, validius æstuant, quàm duræ. Ita ignem citius labefactant, celerius & subito intendunt, fauillamque euomunt flammeam.

Deinde fornax valdè ampla, multisque aperta spiraculis exæstuat magis. Si item tegula humilis, & tenuis est, & latè excisa, quanquam fornax per se rectè est disposita, nec excedit modum calefaciendo; tamen per illam tegulam calor iusto maior suppeditatur. Si fornax amplior est quàm pro opere, ne nimium aëris admitte, sed spiracula, vt res postulat obstrue, atque ita æstus inhibetur. Fornacula spaciosior, ampliorem requirit tegulam, eamque aut non excisam, aut parum. Nam & hoc modo calor nimius prohibetur.

Si specimina imposuisti fornaculæ, eaque æstuosior est iusto, obstrue orificium in summo, ita tamen ne suffocetur massula in crucibulo: occlude & inferius ostiolum, & sic mitigatur calor.

Aëre Austrino vel pluuio, fornacula legitimè calefieri non potest, perinde vt & in æstibus magnis. Ignis enim ab externo calore debilitatur. Ita si in camino vbi fornacula est, focus incenditur, internus calor dissipatur, vt opus frigeat.

Cum prunarum frustula exigua eaque multa fornaculæ infunduntur, ignis suffocatur: optima sunt frusta dimidium ouum æquantia, eaque pura. Si itaque instructus es fornacula benè disposita, tegulam aptam, & prunas decentes adhibens opus procedit optimè.

Si vis vt æstuet fornacula, ignemque validum dare, affunde prunas iustas (vt prædictum est) easque solas, sine admistis paruis. Pone & prunam magnam in superioris ostioli introitu; inferius ostium aperi, prunas paruas cum cineribus per pyram à tegula remoue, & à pauimento eius, vt succedant prunæ iustæ magnitudinis, quas sine in pauimento illo persistere. Ita puram flammam & feruidam præstabit fornax. Quod si feruentiorem desideras: officinæ in qua est fornacula, omnes fenestras, valuas & ianuas claude, ea tantum aperta vnde incidit aura: ita subit aër, cumque nullum inueniat exitum præter fumarium, ferit fornaculam, itaque peruadit, vt sæpè per strepet tanquam follibus agitaretur ignis. Sic est feruentissima.

Si paulatim minuere calorem cupis, subtrahe prunam quam posueras in ostiolo superiore. Postea impone operculum summo orificio, ita tamen vt maneat rima transuersi digiti. Inde ostiolum inferius claude; & sic obseruabis multum decessisse de caloris prioris intensione. Quod si frigidior expetis, lamellam semicircularem oppone posteriori parti tegulæ: applica & laterales valuas lateralibus hiatis. Inde occlude superius